



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 113. Dura Archiepiscopi vexatio in Monachos Abbatiae S. Maximini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. CXIII.

Dura Archiepiscopi vexatio in Monachos Abbatia S. Maximini.

His Cæsaris literis Archiepiscopus ad-
eo non a suo proposito dimoveri
poterat, ut etiam Gallorum potentia
innixus, cuncta pro suo arbitrio aggre-
deretur, ac præprimis Commendato-
ris titulum sibi vendicans, Monachos
Maximinianos acriter insectaretur. Die
ergo decima quarta Martii severam ad-
modum sententiam adversus eos pro-
auntiabat, *qua illos rebelles, atque exci-
tati ante annos aliquot ab Hispanis belli
motores, libellique Zylefiani falsitatibus &
scemmatibus repleti vulgatores, & hacten-
us contra Dominum suum legitimum, a
Sede Apostolica præpositum Commendato-
rem Archiepiscopum refractarios esse dicti-
tabat, ac propterea illos non modo ad
patrias contributiones, sed etiam ad resu-
sionem damnorum Archidiacesi illatorum,
tum denique ad tributa hactenus neglecta,
nunc simul exsolvenda damnabat, addita
comminatione, ni illico obtemperaverint,
alios Religiosos esse subrogandos, relictis
duntaxat iis, qui debitam Archiepiscopo
obedientiam non detraherent.* Hanc sen-
tentiam Archiepiscopus confestim Re-
ligiosis significari iussit, misso ad eos
Ottone

Massen. l. c.

Sæc. XVII. Ottone de Sensheim ejus suffraganeo, A. C. 1646. cui tamen Religiosi modeste in responsis dederunt, quod præter Agritium electum Abbatem suum, alium sibi impositum Dominum ignorarent: neque duobus servire ex æquo possint, orentque, ut Archiepiscopus transactionis Witlichianæ, ubi juri suo renuntiasset, memoriam revocare dignetur, omnem se venerationem suo debere, atque etiam offerre Archiepiscopo in cæteris rebus paratos; at libertati, sibi jam olim indultæ, & tot Cæsarum decretis firmatæ renunciare non posse. Attamen Elector has rationes flocci pendens, Tribunum cum militum cohorte Monasterio immisit, qui per muros clam ascendens, Religiosos ex choro & P. Valentinum Adami Priorem e cella sua abstraxit, illosque ad præstandum Commendatori subjectionis juramentum adigere sategit, reluctantes autem cellis inclusit, omnique mutuo congressu prohibitos, aqua duntaxat & pane sat modico, omniumque rerum inedia ad obsequendum impellere conatus est: demum vero alios ex vicinis Monasteriis evocatos subrogavit, Maximinianis tota Archidiæcesi exulare coactis.